



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xx. De Depositione, seu Degradatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

bit cessio per eum facta, antequam ad ipsius procuratoris, vel illius in cuius manibus cessio fuerat faciendā, notitiam reuocatio huiusmodi fuerit deducta: nisi forte per ipsos, aut alios dolo malo factum fuerit, quod minus ad eos, vel eorum alterū ante cessionem reuocatio perueniret.

*Qui impetrauit cedendi licentiam, compellitur renunciare. h. d.*

Aliud iuris est, si qui cedendi licentia cum instantia postulata, atque ea obtenta, leuitate forte cedere pretermittant: eos. n. ad cedendum compellendos esse generali Concilio<sup>a</sup> statuitur.

*cap. quidam cedēdi. cxi. eod. tit.*

DE DEPOSITIO-  
ne, seu degrada-  
tione,

TITVLVS XX.

*Spirituale coniugium dissoluitur per degradationem. h. d.*

Er degradationem quoque coniugium Ecclesiæ & Episcopi dissoluitur. Nihil. n. est aliud degradare, quam de gradu deijcere: quod institutum est ad similitudinem<sup>b</sup> exaurationis eius qui militiæ deseruit armatæ: cui ram militaris ordo, quam etiam insignia ob delictum detrahuntur.

*cap. 2. S. actualis. de pœnis. in 6.*

*Duplex est degradatio, uerbalis & actualis. h. d.*

Est autē degradatio duplex:

verbalis scilicet & actualis. Verbalis<sup>c</sup> degradatio est, cum ab eo, qui auctoritatem habet, assistente certo Episcoporum numero de positionis fertur sententia. Actualis uero, siue solennis est, cum non solum fertur sententia, uerum etiam ab eo qui degradandus est, vestes & singula insignia sui ordinis gradatim auferuntur. Cuius ordo ac series latissimè Bonifaciana constitutione<sup>d</sup> demonstratur.

*d. cap. 2. S. uerbalis. de pœnis. in 6.*

*Proprius solum Episcopus potest deponere constitutos in minoribus ordinibus, secus in maioribus. h. d.*

*d. cap. 2.*

Quod<sup>e</sup> autem dictum est, Episcoporum numero assistere, sic intelligi oportet, si de Episcopo, aut illo degradando agatur, qui sit in maioribus ordinibus constitutus. Ceterum, si de ijs agatur qui minoribus tantum insigniti sint, proprii Episcopi sententia, absq; ullorum Episcoporum<sup>f</sup> interuentu, factis erit.

*can. si quis tumidus. 15. q. 7.*

*In degradatione sacerdotum ob causam hæresis potest procedere solus Episcopus delinquentium cum suis minoribus prelati. h. d.*

*can. si autē in fin. d. 15. q. 7.*

Quinimodò interdum etiam si presbyter, uel in sacris constitutus degradandus fuerit, plurius Episcoporum interuentus necessarius non erit: nam tales, si pro hæresi & seculari curiæ tradendi, uel perpetuò immurandi sint, quia Episcoporum numerus facile conuenire non potest, solus Epi-

*ca. 1. de hæret. in 6.*



scopus, conuocatis Abbatibus & alijs praelatis, virisq; suae dioecesis pietate ac bonis artibus instructis, degradare poterit.

*Degradatus traditur curiae seculari, et pro eo debet Ecclesia intercedere, & degradatus se misens sacris, excommunicatur. h. d.*

Clericus igitur ob graue flagitium degradatus, cum ab Ecclesiastico foro fuerit proiectus, seculari curiae traditur puniendus. Vnde celebranda<sup>a</sup> erit talis degradatio seculari praesente potestate, & cum perfecta fuerit, pronuntiandum ut secularis Iudex degradatum, tanquam clericali priuilegio exutum, in forum suum recipiat puniendum: pro quo tamen Ecclesia debet intercedere, ut citra mortis periculum in eum sententiam moderetur: & si impetrauerit, & degradatus poenae superstes fuerit, ab administratione sui ordinis debet abstinere. Quod si cingulo militiae caelestis exauctoratus, ausu temerario sibi dudum commissum audebit in posterum attractare ministerium, etiam ab Ecclesia ex canone Apostolorum erit abscondendus.

DE SACERDOTIBVS  
in inferiori gradu constitutis,

TITVLVS XXI.

*Sacerdotes inferioris gradus, sunt presby-*

*teri, nec sufficit aliquid obiter tractatum esse. h. d.*

**N**unc descendamus ad sacerdotes in inferiore gradu constitutos: subsequenter postea de ijs dicturi, quod licet sacerdotes non sint, in sacris tamen constituti reperiuntur: ac demum de his, qui circa humiliora in domo Dei necessarium ministerium exhibent, qui in minoribus ordinibus dicuntur constituti: de quibus omnibus, si quid superius locuti fuimus, obiter potius, quam ex professo loquuti fuimus. Inferiores sacerdotes, sunt presbyteri.

*Sacerdotum in duas classes diuisio, sumpsit originem tam a testamento ueteri, quam nouo. h. d.*

Et non ineleganter sacerdotes in duos ordines distributi esse videntur: Haec enim discretio, tam in veteri testamento a Deo per Moysen sumpsit exordium, qui ex praecipis Domini Aaron in summum Pontificem, filios vero eius inuinxit in minores sacerdotes: quam etiam in nouo ab ipso Christo, qui duodecim Apostolos, tanquam maiores sacerdotes, septuaginta duos quasi in minores instituit: Petrum vero quasi summum sacerdotem elegit, dum ei praeter omnibus, & pro omnibus clauis regni caelorum tribuit.

*b* *distin. 21. in sum. & partotum.*

*Pres.*